trà Bellur. & Fabr. statuit sanguinem è corpore in triduo mortis effusum non fuisse Verbo immediatè unitum; in quo scholastícandi modo imitari videtur, *Vulgarem Rusticorum opinionem, qui quæstiones per medium dividunt* ut habet gloss. in L. Nessenius ff. de negot. gest. Hanc verò quartam conclusionem probat ratione iam soluta, quod si Verbum fuisset immediatè unitum sanguini in triduo mortis effuso, fieret inter sanguinem, & Verbum idiomatum communicatio, & diceretur Verbum effusum super terram, & inter pulveres mixtum, sicut dicitur sanguis; non adverens hoc idem argumentum etiam militare contra secundam conclusionem, quia eodem modo, dùm sanguis erat in Corpore Christi, poterat, ac debebat Verbum dici sanguis, ac pariter dici debebat Verbum effusum per venam fluere, per corpus, &c. quæ propositiones non habent minorem difficultatem, quam præcedentes. Quarè ad obiectionis solutionem sufficit iam allata ex Scoti doctrina, quod illæ denominationes pendent ex communi acceptione, & usu loquendi. Addit ibi Doctor, quod quando aliquid non est natum denominare nisi totum, cujus est pars, non potest denominare illud, in quo subsistit, nisi actu sit pars compositi nati denominari ab ipsa, sic anima non denominat, nisi actu sit pars hominis, sic enim dicitur corpus animatum, quando actu informat illud; & similiter dicitur homo animatus, quando actu anima est pars hominis, sic igitur in proposito de sanguine diceretur, quod ab eo Verbum non denominatur, nisi quando actu est pars integralis humanitatis assumptæ; Præterquamquod non desunt, qui illas prædicationes admittunt de Verbo ob communicationem idiomatum, juxtà illud Psalm. *effusus sum velut aqua*, & de facto admittit Amicus *sect. 7. in fine*.

193 Secundò arguunt, quia Verbum assumpsit tantùm naturam humanam, & non aliam naturam, sed humana natura essentialiter consistit tantùm in anima, & corpore, quod informatur anima; ergò non immediatè assumpsit alias partes non animatas. Tùm secundò quia sanguis non est pars hominis, cùm enim non animetur anima rationali, non potest continuari cum carne, qua ratione dixit Aristot. 2. de partibus animalium *cap.* 10. sanguinem non esse partem animalium. Tùm tertiò subsistentia Verbi divini per hypostaticam unionem posita est loco subsistentiæ humanæ; ergo terminat tantùm eas partes, quæ humanæ subsistentiæ afficiuntur, sed partes non animatæ humana subsistentia non subsistunt; ergò non sunt assumptæ à Verbo. Tùm quartò quia non quodlibet humanæ vitæ necessarium censendum est esse de integritate humani corporis; aliquin aer etiam esset de eius integritatè, quia est ad humanam vitam necessarius, cùm sine eius attractione, & respiratione conservari non possit, & ad quædam munia humanæ vitæ deservit. Tùm tandem, quia partes non animæ facillimè variantur, præsertim spiritus vitales, & animales, qui ferè semper ex humano corpore effluunt; ergo dicendum has partes non fuisse à Verbo assumptas, ne tanta variatio in hypostaticam unionem redundet.

194 Respondetur Verbum naturam humanam assumpsisse secundum totam eius integritatem, atque adeò non solùm, quoad partes eam essentialiter constituentes, sed etiam quoad alias partes, quæ necessariæ sunt ad humani corporis constitutionem, & integritatem; & in hoc sensu dicitur Verbum humanam tantùm naturam assumpsisse, & non aliam, quia sub integritate humanæ naturę etiam partes illæ non animatæ comprehendunt, & licet sanguis sit diversæ speciei, censetur tamen reductivè eiusdem speciei cum humanitate, ac proindè non se habet, ut nova, & discreta natura, sed suo modo, ut pars eiusdem humanæ naturæ. Ad secundum dicendum sanguinem esse partem animalis completè sumpti, prout includit partes animatas, & non animatas, nam non tantum partes animatæ pertinent ad integritatem naturæ, sed etiam multæ non animatæ, Aristot. verò loquitur de parte animalis, prout vivens est. Ad tertium quando dicitur subsistentia Verbi posita esse loco totius humanæ subsistentiæ, sub hac totalitate comprehendi debet non solùm animæ subsistentia, & aliarum partium animatarum, sed & aliarum partium humani corporis. Ad quartum negatur paritas de aere, & sanguine, quamvis enim aer ad vitam humanam necessarius sit, nec non ad alijqua eius munia, adhuc tamen non est naturaliter ordinatus ad corpus humanum componendum, velut pars eius intrinseca, nec est quid uni potius viuenti addictum, quam alteri, fiquidem eodem aere omnes utuntur viventes, ideoque est quoddam prorsus extrinsecum viventi quatenus tale, unde corpora gloriosa in Cœlo aerem non habebunt, sed benè sanguinem, qui vera pars censetur, & intrinseca corporis organici. Ad ultimum, sicut non est inconveniens aliquam admittere variationem in unione hypostatica quoad partes animatas, utpotè carnes, quæ in progressu humanæ vitæ variantur, & continuò fluunt, & refluunt; ita nec quoad alias; præsertim quia in resurrectione, ac deinceps omnes erant invariabiliter permansuræ, & in tempore vitæ mortalis nunquam corpus, & anima etiam in triduo mortis à Verbo fuere dimissa.

Tertiò arguit Gallus, non cogimur astruere immediatiorem, 195
& strictiorem unionem sanguinis cum Verbo, quàm animæ, & corporis, at partes illæ solùm mediatè fuerunt Verbo unitæ, dum erant in toto, ergò &c. Deindè, quia si Concil. Trid. *sess. 13. cap. 3.* sensisset Verbum esse immediatè corpori, & sanguini conjunctum personaliter, dixisset concomitantiam non esse desumendam ex naturali conjunctione, quia Corpus, & Sanguis connectuntur, sed ex unione immediata sanguinis cum Verbo. Denique cùm Concilium eam divinitatis concomitantiam exprimit per admirabilem illam ejus cum anima, & corpore unionem, jam innuit non ita proximè sanguinem Verbo copulari, ac animam, & corpus; ergo &c.

196 Respondeo negando minorem, ut enim constat ex dictis *quæst. præced. art.* 1. etiam partes fuere immediatè Verbo unitæ loquendo de unione per modum simplicis sustentationis, ut salvetur dictum Damasceni, *quod semel assumpsit, nunquam dimisit*,, quod planè non salvatur per solam mediatam unionem ratione humanitatis, quia ut ibi arguebam contra Fabrum *num.* 149. partes istæ fuissent aliquando dimissæ, nempè in ipso temporis momento, imò & pro aliqua etiam temporis morula Verbum non fuisset illis unitum, cùm non potuisset pro eodem instanti ab illis dissolvi, & uniri, id enim fieri debuisset diversis instantibus, cum hæc instantia non sint immediata, sed necessariò medies tempus ex 6. Phys. Verbum pro aliqua temporis morula fuisset à partibus separatum. Ad secundum respondetur ex dictis *num.* 117. quod licet Concilium id expressè non dixerit; hoc tamen implicitè insinuat, dùm docet uniformiter ex vi consecrationis esse Verbum per concomitantiam sub speciebus vini, sicut est sub speciebus panis, ut ibi explicatum est. Ad ultimum imò si partes non fuissent Verbo immediatè unitæ aliquo modo, non benè concomitantiam divinitatis expressisset per ejus unionem cum anima, & corpore, quia non fuisset illiunitæ, nisi mediatè, & per unionem humanitatis; satis ergo apertè & in Concil. Trident. & in aliis Concilijs, ac Patribus insinuatur unio quoque sanguinis proxima, & immediata cùm Verbo, cùm sæpius inculcant Verbum assumpsisse carnem, & sanguinem, nam si dixissent solùm assumpsisse carnem, poterat de sanguine dubitari, quia distincta subsistentia subsistit; quare data opera semper addiderunt sanguinem, ut ejus immediata unio insinuaretur distincta ab unione carnis.

197 Quartò specialiter arguitur, quod saltem post separationem à corpore non fuerit sanguis in triduo mortis Verbo unitus; quia sanguis quamdiù non est sub anima rationali non debet terminari personalitate rationali, qualis est subsistentia Verbi. Tùm secundò quia hac ratione sanguis in circumcisione effusus non mansit Verbo unitus, quia à corpore separatus; ergo nec in passione effusus, cùm sit eadem ratio. Tùm tertiò quia sanguis in triduo mutavit formam substantialem, quia desiccatus, & pulvere mixtus; ergo non amplius Verbo unitus. Tùm quartò quia illæ partes carnis, quæ successu temporis in Christo ex vi nutrionis amittebantur, non retinebant eo ipso unionem, ut supra dictum est, ergò multò minus eam unionem retinebit sanguis effusus. Tùm quintò quia saltem ille sanguis, qui in terris mansurus erat, non debebat esse Verbo unitus, quia nec actu, nec potentia censebatur pars corporis resuscitandi.

198 Respondeo, ita planè fieri debuisse, si naturæ cursum inspicimus, sicut etiam in ipso examini corpore non debebat esse talis personalitas; sicut ergo quia corpus post triduum reassumendum erat, ideò voluit Deus divinitatem etiam in triduo remanere illi conjunctam, sic pariter de sanguine dicendum; non enim quoad hujus unionis permansionem potest aliquid specialius notari in corpore præ sanguine, ut diverso modo de illis discurri debeat. Ad secundum negatur paritas, quia sanguis in Passione effusus erat starim in resurrectione reassumendus cum corpore, ideoque censebatur pars potentialis Corporis Christi; at Sanguis effusus in circumcisione non erat reassumendus, ideò non censebatur amplius pars potentialis Corporis Christi, quare cessavit unio ejus ad Verbum in ipsa separatione, sicut si particula carnis in vita Christi fuisset abscissa, cessasset unio ad Verbum ob eandem rationem. Ad tertium negatur assumptum, quamvis enim cursum naturæ inspiciendo ita fieri debuisset, sicut etiam de corpore, fuit tamen ex speciali privilegio à corruptione sanguis ille præservatus juxta illud, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Ad quartù negatur paritas, illæ enim partes carnis, quæ in Christo ex vi nutritionis amittebantur, non erant reassumendæ, ideoque unionem retinere non debebat, sanguis autem ad breve tempus erat à corpore separatus, & post triduum erat à Verbo rursus cum corpore reassumendus. Ad quintum gratis concedo sanguinis particulas in Ter-

ra Terris remansuras unionem ad Verbum non retinuisse, quia non erant reassumendæ; quando autem eam amiserint unionem, an in ipso separationis momento, an potius post resurrectionem tam declaratum est, *n.* 189.

199 Quinto obiicitur, quia circa hoc punctum, an in triduo mortis manserit sanguis unitus Verbo, vulgaris historia refert fuisse magnum dissidium coram Pio II. inter Patres Dominicanos una parte, & Patres Franciscanos ex altera, quorum causam fertur egisse Frater Franciscus de Ruvere tunc Ordinis Commissarius Generalis, & deindè Cardinalis S. Petri ad Vincula, & tandem Summus Pontifex qui nomine totius Ordinis eam unionem negavit; ergo hanc sententiam tueri tenemur, ut propriam nostræ Scholæ, & totius Religionis contra Thomistas. Confirmatur, quia id etiam videtur insinuasse Doctor 3. *dist. 16. quæst. 1. D.* ubi explicans dictum Damasceni, quod semel assumpsit, numquam dimisit, inquit, hoc verum esse de principalibus partibus corporis, quæ concurrunt ad perfectionem hominis cuiusmodi sunt partes etherogeneæ, scilicet, cor, caput, manus, & huiusmodi; & tamen aliquæ partes dimissæ sunt, ut si incidit sibi ungues, vel ralit capillos, & sic de partibus carnis; sicut ergò dicit Doctor non esse inconveniens, Verbum ex partibus assumptis aliquas dimisisse, ut in unguium incisione, & capillorum tonsione, ac etiam de dimissione carnis in nutritione; ita pariter videtur dicendum de sanguine à corpore separato in triduo; quod in eo loco significavit Marginista dicens; *nota contrà Thomistas de Sanguine Christi notabilem expositionem*.

200 Respondeo, si historia se haberet, ut à nostris referri solet, quod controversia inter PP. Dominicanos, & Franciscanos fuerit, an aliqua particula sanguinis prætiosi remanserit in Terris, cui adhuc sit unita divinitas, facilè responderi posset hanc esse genuinam nostræ Scholę sententiam contra Thomistas; utrumque enim contra illos defendimus, nempè & aliquam particulam Sanguinis Christi apud nos remansisse post ejus resurrectionem, eamque ex tunc dimisisse unionem ad Verbum; Verùm quia historia communiter referitur, ut in argumento jacet, & hoc ipsum colligitur ex verbis manuscripti Tract. Francisci de Ruvere relatis à Card. de Lugo *disp. 14. sect. 1.* quæ sunt, *Tertia veritas est ista, scilicet de Christi Sanguine quamdiu fuit eius corpori unitus, Deitas separata non fuerit, ab eo tamen effuso, divinitatem fuisse separatam, probabiliter confitemur*. Ideò dicendum arbitror cum Centino nostro *disp. 9. cap. 4. n.* 127. perperam nostræ Scholæ eam tribui sententiam, quæ negat Christi Sanguinem in triduo Verbo fuisse unitum; siquidem ne verbum quidem de hac re Scotus, nec Verbum Scotistæ, si unicum Franciscum de Mairone excipias 4. *dist. 43. q. 1.* & Cardinalem S. Petri ad Vincula; Verùm nec Maironus plenè Scotizat, ut patet ex locis adductis pro nostra conclusione, nec Cardinalis ille universam hbi Scotistarum Scholam adsciscere potuit, imò iste etiam, ut constat ex eius relatis verbis, opinionem suam, ut probabilem duntaxat exposuit, quare Recentiores Scotistæ arguendi non sunt, quod oppositam sequantur sententiam, ut magis piam, & prætiosio Sanguini Christi pro nobis in triduo effuso melius que de terra clamanti, quam sanguis Abel ut inquit Apostolus; magis favorabilem.

201 Neque oppositum deducitur ex loco Scoti citato, quicquid dixerit Margo, inquit enim solùm ibi aliquas partes fuisse à Verbo dimissas, ut unguium superfluitatem in incisione, & capillorum in tonsione, & partium carnis fluentium in nutritione, qui nimirum partes hujusmodi non erant amplius reassumendę, ideoque unionem ad Verbum retinere non debebant; sanguis autem a corpore separatus fuit ad breve tempus & post triduum erat rursus à Verbo cum corpore reassumendus, atque ideò de ipso quoad hoc discurri debet, sicut de corpore, quod sicut hoc in triduo à Verbo non fuit dimissum, quia rursus erat in resurrectione reassumendum, ita neque sanguis effusus ob eandem rationem, quare exemplum ibi à Scoto adductum de unguium incisione, & capillorum tonsione applicari nequit toto sanguini in passione effuso, sed tantum sanguini in terris relicto ad fidelium devotionem fovendam, quatenus hic non amplius reassumendus erat, & quoad hoc tantùm admitti potest nota ad marginem Scoti adiecta.

202 Sexto ulterius arguitur præsertim quod aliqua pars Sanguinis Christi apud nos non manserit post resurrectionem, quia D. Athan. lib. de passione imaginis Domini absolutè profert in Terris non adesse sanguinem prætiosum, sed totum esse miraculosum, ubi ad hoc probandum quandam affert historiam de Imagine Crucifixi, quam quidam lancea percussit, unde effusus est Sanguis in magna copia, quæ quidem historia in septima Synodo generali Nicena fuisse approbata dicitur. Respondeo si Auctor illius libri fuit re vera magnus ille Athanasius Ecclesiæ Alexandrinæ Antistes, & non alter eiusdem nominis, ut dubitant quamplures, loquitur de quantitate aliqua Sanguinis notabili, qualis esse solet, quę in ampullis servatur, non verò de aliqua guttula, vel macula ipinis, vel sudario adhærente, & quamvis hæc historia fuerit in illa Synodo in se approbata, non tamen quod omnes particulas, & omnia dicta in ea contenta, ob testimonia in contraria allata *n.* 185.

Postremò arguitur, quod si aliqua sanguinis particula post 203
Christi resurrectionem apud nos remansit, adhuc unionem ad Verbum retineat, quia Clemens Sextus in Extravaganti *Unitus* citata absolutè inquit, totum sanguinem Christi pro nobis effusum in passione fuisse infiniti valoris propter unionem ad Verbum. Respondeo, hoc intelligendum esse de sanguine Christi in passione effuso quia tunc etiam verè erat sanguis Christi, & pars potentialis Corporis Christi, & paulò post reassumendus in resurrectione; non autem intelligendum est de aliqua guttula, vel particula, quæ potest resurrectionem in Terris remansitę cur verò potius hæc, vel illa particula fuerit in Terris relicta, neque cum aliis reassumpta, quibus erat continua, & commixta, ex divina processit ordinatione, & voluntate iuxta dicta superius *n.* 189. de quo plura Arriaga *disp.* 13 *sect.* 3.

Quæres, an etiam dentes, ungues, & capilli fuerint imme- 204
diatè uniti hypostaticè Verbo divino; Negat Vasquez *disp.* 36. *num.* 34. & Vulpes ex nostris *disp.* 7 *art.* 5. Affirmat communis opinio, & Scotus 3. *dist.* 6. *cit. qu.* 1. *D.* ubi de his partibus loquitur, sicut de carne ipsa, quæ utique immediatè fuit Verbo unita; quem textum frustra nititur extorquere Vulpes, ut ostendit Bellurus *loc. cit.* & quidem de dentibus non videtur esse difficultas, quia de illis videtur esse eadem ratio, ac de alijs ossibus; de capillis, & unguibus probatur, quia verè vivunt, & anima viventis informantur, ut dictum est in *lib. de Anima quæst.* 9. *art.* 1. cuius signum est, quod augentur per intus susceptionem, quod est proprium viventium; Tùm quia pertinent ad ornamentum, & complemen um corporis humani, quà ratione dicunt Theologi, & Patres futuros esse etiam in corporibus gloriosis, nec sunt pura excrementa; quia ergo Christus fuit perfectus homo, & speciosus præ filiis hominum dicendum est has quoque partes assumpsisse, etiamsi anima non informarentur, quia sunt de ornatu, & complemento corporis.

QUÆSTIO SEXTA.

An natura humana in Christo propriam habeat existentiam, vel potius existat existentia Verbi.

TRiplex esse distingui solet, essentiæ, existentiæ, & subsi- 205
stentiæ primum est idem omnino cùm ipsa essentia à parte rei, & solùm ab ea distinguitur in modo concipiendi concreto, & abstracto; Et hoc modo certum est tot esse in Christo concedi debere, quot essentias: quare sicut in Christo sunt duæ essentiæ, vel naturæ, divina, & humana, ita pariter duo esse essentiæ in ipso concedi debent. Ultimum esse nimirum subsistentiæ est esse actualis existentis in seipso non dependentis in subsistendo ad aliud, ut ad suppositum, quod est esse suppositale; ut, imò, & incomunicabile suae superius explicatum; & de hoc esse loquendo, certum est rursus in Christo dari unicum esse subsistentiæ, sicut in eo est unica subsistentia sive persona; Esse tandem actualis existentiæ, quod distinguitur ab esse essentiæ, & ab esse subsistentiæ, ac veluti mediat inter utrumque est id, quo actu res existit extra suas causas, & quo unaquęq res formaliter habet, ut sit actualis entitas in rerum natura, & extra nihil, seu extra causas suas; ut v.g. humanitas Christi, vel eius anima, priusquam crearetur, actu nihil erat, sed solùm in potentia objectiva; cùm igitur primùm ex illa potentia intelligitur exire in actum, existentia eius erit actualitas illa, qua intrinsecè, & formaliter constituitur extra nihil, & extra causas. De hoc igitur esse existentiæ est præsens quæstio, an in Christo sit alia existentia divinæ naturæ, & alia humanæ; an potius sit tantùm unicum esse existentiæ, scilicet, existentia increata ipsius Verbi, qua humanitas quoque assumpta existere dicatur.

In hac controversia duplex est opposita sententia; Prima est 206
communis in Schola Thomistarum negans in Christi humanitate aliquam existentiam creatam, & affirmans per unionem assumptam esse, non solùm ab subsistentiam Verbi, sed etiam ad existentiam; Cùm enim secundum Thomistas essentia & existentia in rebus creatis reipsa distinguantur, adeoquod essentia possit in rerum natura sine propria existentia conservari, & per aliam terminari, sequitur possibile fuisse humanitatem Christi esse privatam propria existentia creata, & per existentiam divinæ naturæ ita esse terminatam, ut per eam formaliter existat; sicut nos supra dicebamus de subsistentia; vult itaque Divus Thomas 3. *par. qu.* 17. *art.* 2. quod sicut humana natura assumpta caret in Verbo propria subsistentia; & propria existentia; & sicut subsistit per subsistentiam Verbi, ita & per eius existentiam formaliter existit, & non per propriam, & sic docent passim Thomistæ *loc. c.* Caietanus, Capreolus, Ferrara, Medina, Caprera, Alvarez, & alii eiusdem Scholæ spectatores.

Opposita sententia est communis extra Scholam D. Thomæ affirmans humanitatem assumptam propriam habere existentiam creatam, qua existit; nam licet fuerit assumpta ad subsistentiam Verbi, non tamen ad existentiam, ita Scotus 3. *dist.* 6. *q.* 1. D. Bonav. *dist* 5. *art.* 1. *q.* 1. & sequuntur Scotistæ passim, ac Recentiores omnes, quorum aliqui D. Thomam benignè interpretantur, & in hanc quoque sententiam trahere nituntur.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolutio Quæstionis.

207 Dicendum est impossibile esse humanitatem Christi existere in rerum natura per existentiam Verbi increatam; atque ideo necesse est ut existat per existentiam propriam, & creatam. Ita Doctor *loc. cit.* quod ibi pluribus demonstrat, & cum eo Faber 3. *disp.* 14. Rada *contr.* 7. *art.* 3. Belluræus *disp.* 3. *q.* 6. Arctinus 3. *dist.* 6. *q.* 1. Gallus ibidem, & alii antiquiores Scotistæ, ac omnes alii extra Scholam D. Thomæ, Suarez, Vasquez, Granad. Amicus, Arriaga, Aversa, Hurtadus, Orlandus, Lugo, & alii passim; Sequitur ex jam dictis *q.* 4. *art.* 2. ubi probatum est actionem incarnandi fuisse tantùm unitivam, non verò productivam humanitatis; & rationes ibi allatæ ad hoc ipsum probandum adducuntur à Scoto *loc. cit.* 3. *dist.* 6. *q.* 1. quia si natura humana dimitteretur à Verbo, non oporteret sibi acquiri novum esse per generationem, nec per creationem, & tamen ipsa dimissa ex hoc quod dimissa, non esset annihilata, nec esset ens in potentia, ut anima Antichristi; ergo haberet aliquod esse in actu, & non novum, quia per nullam mutationem positivam, ergo idem, quod modò habet. Tùm quia fundamentum relationis naturaliter præcedit relationem, & secundum esse actuale præcedit rationem relationis actualis; unio ista fuit relatio actualis: ergò eius fundamentum præcessit naturaliter secundum esse actuale fundamentum autem illud erat ipsa natura totalis; ergò humanitas, ut actualis entitas ordine naturæ supponitur unioni, & assumptioni, atque ideò non constituitur in esse actualis entitatis per ipsam unionem, & assumptionem, & consequenter neque per existentiam increatam.

208 Nec sufficit, si dicatur hanc unionem non esse puram relationem, sed modum quendam subsistantialem: nam etiam hoc admisso non solvitur argumentum, quia modus rei præsertim extraneus supponit ordine naturæ rem, cuius est modus; unio autem, vel assumptio est modus ipsius humanitatis ei extraneus; ergò ordine naturæ supponit illam in ratione entis actualis, & consequenter actu existentis, ideòque non ex vi istius unionis habet humanitas rationem entis actualis, & existentis, sicut habet subsistentis; Tùm quia esse alicuius prius est ordine naturæ, quàm uniri, quod enim assumitur in hac unione est subiectum unionis, & ideò illi supponitur, ut ens actuale. Nec rursus sufficit, si dicas interdum aliquid non prius natura fieri quam uniri, quia si fit in alio, ut accidens, & forma materialis, simul fit, & unitur, undè accidens non prius natura est, quam insit; idem ergo dici poterit de humanitate Christi, scilicet, fieri in ipso supposito Verbi; & ideò non prius natura existere, quàm uniri. Non inquam, sufficit, nam in primis falsum est, ex vi unius indivisibilis actionis accidens, & formam materialem produci, & simul uniri subiecto, ut dictum est suprà *quæst.* 4 *num*: 164. Deindè, quando etiam id concederetur, adhuc exemplum est absimile: quando enim forma fit in subiecto per mutationem ipsius subiecti, & concursum eius materialem, & actionem in ipso susceptam, utique intelligi fortè posset ipsamet actione, & concursu formam fieri & uniri subiecto, ut nonnulli philosophantur; at hoc in præsenti dici non potest, quia actio unitiva, & aliqualis mutatio, quæ intervenit, non recipitur in supposito Verbi, tanquam in subiecto, sed in humanitate ipsa: ergo opus est ipsam unioni supponi, ut eius subiectum, nec potest supponi, ut subiectum, nisi supponatur in ratione entis actualis iam producti. Nec demum valet, quod communiter solent respondere Thomistæ, naturam humanam habuisse utique existentiam actualem, & secundum illam præcessisse esse relationis, vel modi unionis; hanc tamen existentiam non fuisse creatam, & naturæ propriam, sed divinam, & increatam. Non valet, quia existentia divina, non advenit humanitati ante relationem, vel modum unionis, sed post unionem, per quam formaliter fit ita communicatio; at argumentum probat ante unionem opus esse, quod natura humana habeat esse actuale, quod est existentia atque ideò in suo robore persistit.

209 Secundo probatur ratione, veluti à priori; quia si nomine existentiæ intelligatur entitas actualis essentiæ, per quam constituitur extra causas, & de non ente fit actu ens, ut verè, & propriè sumitur juxta dicta ab initio quæstionis *num.* 205. plane ine hoc sensu negari nequit humanitatem Christi propriam habere existentiam creatam, & non formaliter existere per existentiam divinam; siquidem, ut constat ex dictis *disp.* 8. *Metaphys. qu.* 2. existentia non distinguitur realiter ab essentia, ut opinantur Thomistæ, adeòut prorsus implicet rem aliquam existere posse per existentiam alienam, & dari essentiam, quæ actu sit in rerum natura, ac propria careat existentia; Ex quo fundamento Metaphysico sic arguitur: humanitas Christi, ut condistincta à Verbo, intelligitur esse quædam actualis entitas, quam ipsa secum affert, nec à Verbo formaliter recipit; ergò intelligitur esse existens per propriam existentiam creatam, consequentia patet ex fundamento præjacto, quia esse ens actu, & existere idem sunt; assumptum probat Doctor *loc. cit.* quia humanitas Christi verè fuit producta à Patre, & à tota Trinitate, etiam ut præscinditur ab unione ad Verbum; causalitas verò efficientis non terminatur ad nihil, sed ad ens reale in actu; Tùm quia Patres, & Concilia dicunt hoc mysterium factum esse per ineffabilem compositionem unius personæ ex duabus naturis realibus, & actualibus, & ut sic inter se distinctis, quo loquendi modo planè indicant, quod sicut divinitas, vel Verbum habet suam actualem entitatem, in qua intrinsecè non includitur humanitas, nec aliquod creatum; sita è contrà humanitas suam habet actualem entitatem, in qua non includitur Verbum, nec aliquid increatum; si ergo actualis entitas humanitatis tota est creata, planè implicat formaliter constitui in esse talis entitatis per existentiam divinam, & increatam.

210 Respondent Thomistæ in generatione temporali Christi terminum generationis non fuisse aliquod esse temporale, sed esse divinum habens novum modum essendi, scilicet, ut subsistit in natura humana; itaut esse increatum, non absolutè, sed sub humanitate generationem terminabat. Sed contrà, quia esse increatum, ut erat sub humanitate, non nisi respectum rationis præferebat; ergo sub hac ratione generationem realem, & physicam terminare non potuit. Tùm quia generatio illa erat nova, & realis; ergo Verbum eam terminare debebat secundum esse reale existentiæ novum, quia actionis novæ realis nequit esse antiquus terminus, nisi terminet sub aliqua ratione nova reali; Tùm quia in morte Christi nedum destructa est unio humanitatis ad Verbum, sed etiam ipsa humanitas assumpta, quam habuit in generatione nova temporali; at per mortem corrumpitur aliqua existentia realis; ergo in humanitate Christi erat aliqua existentia realis corruptionis, capax, quæ proindè creata erat, ac distincta ab existentia Verbi increata. Et quidem hæc ratio à priori est adeò evidens, inquit Aversa *quæst.* 17. *sect.* 1. ut perspecta terminorum significatione, in hoc sensu, quo loquimur de existentia, & actuali entitate, non videatur de hac re dubitari posse; nam humanitas Christi sua habuit accidentia, quæ non nisi in entitate actuali humanitatis existentia creata affectæ subiectari poterant; Christus, ut homo passus est, & non nisi in actualitate suæ humanitatis; & dùm caro Christi flagellabatur, & vulnerabatur, utique entitas actualis carnis his passionibus subdebatur. Quod fuit argumentum Damasceni 3. de fide ortodoxa cap. 23. dicentis, *passionem, timorem, ac tristitiam fuisse in Christo; verum enim verò non delicto naturæ contingebant, quæ dicta sunt, sed ad ostensionem existentiæ facta sunt*; atqui timor, & tristitia existentiam divinam non indicant, ergò humanam.

211 Tertiò probatur ex opposito Thomistarum fundamento, quia essentia, & existentia non distinguuntur realiter ex dictis *in Metaph. disp.* 8. *quæst.* 2. sed in Christo sunt duæ essentiæ, una increata, altera creata; ergo pariter duæ existentiæ, una increata, & altera creata. Tùm quia admissa etiam reali distinctione inter essentiam creatam, & existentiam, adhuc habetur intentum, quia productio rei habet pro termino existentiam ejus ex 5. Phys. text. 7. ubi inquit Aristot. quod terminus generationis est esse existentiæ, vel aliquid habens esse existentiæ; sed humanitas Christi producta est; ergò eadem ratione producta fuit ejus existentia, hæc autem esse non potuit existentia increata, quia talis existentia non est producibilis per actionem creatam, ergo, &c. Nec dici potest, terminum huiusmodi productionis esse essentiam humanitatis secundum se, quia hęc non est producibilis, nisi secundum existentiam, seu quatenus sub existentia reperitur. Nec etiam dici potest, terminum formalem esse unionis existentiam, quia unio est terminus actionis specie distinctæ, siquidem anima creatur, unio verò educitur.

Confirmatur, quia ut arguit Doctor *loc. cit.* creatio primò & per se terminatur ad esse existentię, sicut & generatio est transitus de non esse ad esse, scilicet, existentiæ ex 5. Physic. sed anima Christi creata est, & Corpus Christi generatum est; ergo eius anima per creationem ab efficiente recipit esse existentię, sicut & corpus per generationem, non recipit autem esse increatum, quia illud nò est terminus creationis, neq; generationis humanę, ergo anima, & corpus habent esse existentię humanę aliud ab esse existentię divinæ. Nec rursus dicere valet, animam, & corpus acce-

accepisse existentiam per ipsam unionem ad Verbum. Quia creatio animæ Christi, & unio, vel assumptio illus ad Verbum sunt actiones realiter distinctæ, quarum prima, scilicet, creatio ordine naturæ præsupponitur ad assumptionem; ergò terminus immediatus creationis præsupponitur ordine naturæ ad ipsam assumptionem, & ad terminum ejus; & idem proportionaliter dicendum de productione corporis.

Respondet Aluarez in 3 *p. disp.* 14. *num.* 30. quod creatio animę Christi in fieri præsupponitur ad assumptionem; sed in facto esse, & ut in termino, assumptio ordine naturæ præcedit creationem animæ; undè per creationem per se loquendo accepit anima Christi, quasi in actu primo, & in radice esse existentiæ creatę, quia nisi preventa fuisset ab existentia Verbi, virtute creationis de facto habuisset propriam existentiam; & idem ait proportionaliter esse dicendum de productione humanitatis Christi, & eius generatione temporali.

212 Sed contra, quia hæc distinctio in proposito de fieri, & facto esse, valdè confusa est, & implexa; vel enim accipitur fieri, & factum esse pro actione ipsa, & termino eius immediato, qui est existentia; & in hoc sensu uniformiter loquendum est de creatione animæ Christi, tam in fieri, quàm in facto esse in ordine ad assumptionem, nam idem ordo concedendus est actionibus, & earum terminis, ut de se patet; ergo si creatio animæ Christi in fieri supponitur ad assumptionem, sic etiam in facto esse, & ut in termino, ut dictum est supra *n.* 162. si verò fieri, & factum esse accipitur pro iisdem omninò rebus in diversis signis, & statibus, quia res facta, & eius factio accipiuntur in fieri prius ratione, quam ipsæ in facto esse, ut de motu successivo frequenter dicitur eum non fieri simul, & factum esse; malè talis distinctio affertur in proposito, quia ut notat Hurtad. *disp.* 34. §. 64. in actionibus momentaneis non ita distinguuntur fieri, & factum esse, quia subito, & momento fiunt factaque sunt, quia rem fieri, & non esse factam in successivis benè componimus, cùm motus nondum sit factus totus; at productio subita est tota simul, nec facta una parte superest alia facienda, sed terminatur intrinseco instanti, quo dicitur verè, *nunc est creatio, & immediatè ante non fuit*; ergo in creatione animæ simul sunt *fieri*, & *factum esse* in hoc sensu accepta. Dices saltem intercedere aliquam prioritatis rationem inter fieri, & factum esse, quia concipiuntur more motus successivi. Contra quia productio successiva, & instantanea modos includunt contradictorios; ergo nequit una concipi ad modum alterius; Deindè si talis prioritas non est, nisi rationis, majè inter illos duos conceptus sola ratione distinctos intercipiunt Thomistæ, veluti medium alium realiter distinctum, nempè suppositum, ponentes talem ordinem, ut prius sit natura, postea subsistentia, & tandem existentia, nam posit personationem nullus modus existentiæ advenit supposito, vel naturæ, cùm nihil ei tribuere possit, non enim tribuit, ut sit ens in actu, quia iam præsupponitur in actu, ut & ipsi Thomistæ concedunt, nec tribuit, ut tali modo, sit scilicet, vel in se, vel in alio, quia hoc habet per subsistentiam, vel inhærentiam, nec potest tribuere ipsum existere, quia de hoc quæritur quid addat suprà esse in actu, & extra suas causas, quare benè concludit Hurtadus, Thomistas in hac re solis verbis inexplicabilibus nullum nucleum habentibus in hac quæstione argumenta deludere, nec sufficienter explicare posse quid dicunt.

213 Quartò ulterius arguit Doctor ex 2. de anima 37. vivere viventibus est esse, quod de esse existentiæ intelligendum est, tamdiù enim dicitur animal existere, quamdiu vivere dicitur; sed in Christo fuit alia vita ab increata, alioquin non fuisset verè mortuus, quia mors est privatio vitæ, vita autem increatæ privari non potuit; ergo fuit in eo aliud vivere ab increato, & per consequens aliud esse ab increato; cui rationi valdè fidit Vasq. *disp.* 71. *cap.* 2. Verum Caietanus exponit dictum Philosophi de esse essentiæ, & Medina exponit de vivere pro operatione vitali, & intelligit in sensu causali, idest, vivere, seù vitaliter operari est necessarium ad hoc, ut vivens sit, & conservetur; Sic pariter explicat Alvarez, quod vivere in viventibus est esse existentiæ causaliter, quia nimirum ab anima tribuente vitam causatur esse existentiæ, quod colligit ex verbis Arist. dicentis, *cunctis viventibus causam, ut sint, formam ipsam, atq; substantiam esse patet.*

Sed prima Caietani expositio facilè reiicitur, nam illud esse essentiæ creatum, quod concedit humanitati Christi, & ait per mortem corruptum fuisse, vel est esse reale, & actuale extrà nihil, & extra causas, vel non; si non, ergo esse non potuit terminus ad quem generationis, nec terminus à quo corruptionis in morte, si primum, ergo fuit esse existentiæ, quia per hoc nil aliud intelligimus, quam ipsummet esse essentię actuale extra causas. Neque secunda expositio est ad rem quia si vivere accipiatur pro actu secundo, & operatione vitali, res potius è contra se habet, quod esse est causa operationis, nam operatio est effectus animę in genere causę efficientis. Tertia tandem expositio admitti potest, quia vivere, quod appellat ibi Aristot. esse est effectus formalis animæ ab ea, ut à forma procedens; anima enim cùm sit forma, dat formaliter animali esse, sivè actum primum realem quo vivens existit in rerum natura, quod quidem ex Arist. appellat vivere; sed data hac expositione optimè procedit argumentum, quia ab anima tribuente vitam per se causatur esse existentiæ. Sed rursus respondet Aluarez, hoc totum verum esse per se loquendo, & servato ordine naturæ; at in Christo anima rationalis nullum causavit esse existentiæ creatum, sicut neque subsistentiæ, quia præventa fuit ab alio nobiliori esse, scilicet, ab esse increato existentiæ, & subsistentiæ Verbi. At hæc solutio maner ex dictis explosa, licet enim locum habeat in subsistentia, quæ ob realem distinctionem à natura potuit à divina subsistentia prævenire; non tamen in existentia, quę est modus naturæ realiter identificatus, ut dictum est in Metaphysica.

214 Quintò probatur etiam ratione Theologica; existentia increata est quid absolutum, & essenciale in Deo, & per consequens communis tribus personis; ergo si per assumptionem humanitas est unita existentiæ divinæ, itaut per eam formaliter existat, & non per existentiam propriam, sequitur unionem incarnationis fuisse factam in aliquo essentiali, & ita omnes tres personæ assumpsissent naturam humanam, quod fidei repugnat; Vel saltem esset concedendum in mysterio incarnationis intervenire duas uniones substantiales; alteram essentiæ humanitatis cum existentia Dei absoluta, & increata; alteram humanitatis existentis cum supposito Verbi, sive cum ejus subsistentia relativa, quod est magnum inconveniens.

215 Respondet Aluarez *cit.* unionem naturæ humanæ non esse factam immediatè cum existentia increata, sed cum subsistentia, & personalitate Verbi, quamvis secundariò, & mediatè etiam fuerit facta cum existentia Verbi, quæ intrinsecè clauditur in ipsa Verbi persona; Unde solùm Verbum est incarnatum, non autem Pater, & Spiritus Sanctus, & consequenter tantum Verbum est homo, incarnatio enim non attenditur ex termino mediato sed ex immediato. Nec sequitur esse constituendas duas subsistantiales nam actiones non multiplicantur propter terminos secundarios, *uniones* sed una, & eadem actio per se primò attingit termimum primarium, & per se secundò attingit secundarium. Sed cōtra, quia si solū mediate dicatur humanitas unita existentię, absolute, iā non posset formaliter dici existens per ipsam divinam existentiam, probatur consequentia, quia sicut ad hoc, ut dicatur formaliter subsistere subsistentia Verbi, debet ei immediatè uniri, ita pariter, ut dicatur formaliter existere per divinam existentiam absolutam, deberet ei immediatè uniri, nec sufficit unio mediata.

216 Respondet proindè secundo Aluarez, quod sicut essentia divina est prædicatum absolutum, & commune toti Trinitati, & tamen secundum quod est in Patre, est principium quo generationis Verbi, non autem secundum quod est in Filio, vel Spiritu Sancto, ita proportionaliter quamvis existentia increata sit prædicatum absolutum, & commune toti Trinitati, nihilominus, ut est in Filio, terminat, & complet ultimatè naturam humanam, & eam constituit formaliter extra suas causas, non autem prout est in Patre, vel in Spiritu Sancto; undè non sequitur, quod Pater, vel Spiritus Sanctus sit homo. Sed contra, quia est omninò dispar ratio, ideò enim essentia divina est in Patre principium *quo* generationis Verbi, non autem secundum, quod est in Filio, quia forma, quæ est in aliquo supposito principium producendi productione adæquata illi formæ, non potest esse alicui alteri principium producendi; nunc autem memoria est Patri principium producendi productione adæquata illi principio; quare esto sit in Filio, non potest esse Filio principium producendi, ut notat Scotus *quol.* 2. infrà P. at in proposito existentia absoluta in Filio non esset ratio adæquatę terminandi dependentiam naturæ humanæ in existendo, quia in sententia præsertim Thomistarum nulla est implicantia, quod idem effectus totaliter, & adęquate dependeat à pluribus causis totalibus; & ideò quamvis dependeret humanitas ab existētia absoluta, prout est in Filio, nil obstaret, quin etiam dependere posset ab eadē, prout est in Patre, & Spiritu Sancto, si illi ponatur immediate unita. Rursus disparitas est, quia natura divina non est principium generandi, nisi quatenus est in persona, quæ originē prēcedit genitum, at verò si unio fieret in natura, fieret in illa æquē primò subsistente in tribus, unde non foret major ratio, cur potius una, quam alia persona diceretur incarnata; sicut quia creatio est a natura æquē primò subsistente in tribus, omnes personę dicuntur creare.

217 Respondet tandem Medina, quod illa existentia, quæ existit natura humana Christi, non est existentia absoluta tribus personis communis, sed existentia relativa Filio propria, siquidem ponit in divinis tres existentias relativas præter existentiam absolutam. Sed contra, quia in primis non est certum, quod in divinis præter existentiam absolutam tribus personis communem dentur aliæ tres existentiæ relativæ, & hoc negatur passim præsertim in Schola Thomistarum; Tùm quia, qui in divinis relativas multiplicant existentias ultra absolutam, hoc

ideò faciunt, ut unaquæque res existat existentia sibi proportionata, absolutum nempè absolutè existat, & rèlativum relativè; ergò si existentia absoluta, increata, & infinita seipsa facere non potest existentem relativam personalitatem increatam, & infinitam, cum qua unitur per omnimodam identitatem à parte rei; tantò minus existentia increata relativa poterit seipsa facere existentem naturam absolutam creatam & finitam, à qua realiter distinguitur, & cui duntaxat unitur per extrinsecam unionis terminationem; hoc enim admisso multò magis id concedendum esset de existentia divina absoluta, quod seipsa reddere posset personas existentes, absque alia existentia relativa.

218 Sextò tandem probatur auctoritate, nam in 7. Synodo actione 6. tom. 3. collect. 8. quidam Epiphanius Episcopus in hoc distinguit naturam ab hypostasi, quod natura tantùm dicit humanitatem existentem, hypostasis verò addit subsistentiam; cùm ergo in Christo sic natura humana à Verbo realiter distincta, sequitur eam existere formaliter per existentiam distinctam ab existentia increata. Item Damascenus *lib. 3. c. 11.* inquit, Verbum assumpsisse naturam singularem, sive in athomo, existentia verò, vel intrinsecè pertinet ad singularitatem, vel eam necessariò, ac indispensabiliter concomitantur siquidem generatio est singularis, & existentis ex procin. Metaph.

Respondet Alvarez, cùm Epiphanius ait naturam humanam importare humanitatem existentem, intelligitur, quod importat humanitatem existentem radicaliter, idest, ex ipsa potentem existere absque adminiculo existentiæ alterius naturæ; quamvis de facto in Christo non habet propriam existentiam, quia præventa fuit ab existentia Verbi. Ad aliud ex Damasceno inquit, quod in singularitate creata non includitur intrinsecè creata existentia, sed ordo ad illam, quam haberet, nisi præveniretur à divina existentia. Sed istæ expositiones sunt omninò extortæ, & violentæ; quis enim non videt, quod quando rem aliquam dico existentem, significo rem illam actu existere, & non tantùm existere posse? Imò eidem expositioni inhærendo pariter dici posset, Epiphanium per naturam, & humanitatem existentem intellexisse naturam etiam subsistentem radicaliter, idest, ex se ipsa potentem subsistere absque adminiculo subsistentiæ alterius naturæ, quia propria sibi debebatur subsistentia, nisi à subsistentia Verbi præventa fuisset: per naturam ergò existentem intellexit Epiphanius humanitatem propriam existentiam habentem, & sola carentem propria subsistentia; Sic etiam Damascenus per naturam singularem intellexit naturam propriam habentem existentiam, quia si hæc intrinsecè non includitur in singularitate creata eam saltem indispensabiliter comitatur per realem identitatem, atque ideò per alienam præveniri non potest, sicut subsistentia, quæ à natura singulari realiter distinguitur; Tùm quia prædictæ responsioni inhærendo æquè benè dici posset, quod licet in singularitate creata non includatur subsistentia, includitur tamen ordo ad illam, quam haberet, nisi præveniretur à divina subsistentia; quare in hoc puncto hallucinantur Thomistæ, quod eodem modo de existentia naturæ singularis discurrunt, sicut de subsistentia; Aliæ auctoritates ad hoc idem probandum adduci solent non admodum convincentes, quas proindè omitto.

ARTICULUS SECUNDUS.

Opposita sententia fundamenta prosternuntur.

219 IN oppositum Primò obiiciunt Sophronium, qui in Concilio generali 6. Synodo actu 11. & 13. loquens de Christi humanitate inquit, *in illo itaque* (idest in Verbo) *& non in semetipsa habuit existentiam unam.* Deinde Damascenum *lib. 3. cap. 12.* dicentem *humanitatem Christi existere per existentiam Verbi*. Denique Leonem ep. 11. dicentem, humanitatem Christi ipsa assumptione fuisse creatam, & Fulgentium *lib. de Incarn. c. 3.* dicentem, quod *ipsa acceptatio carnis fuit conceptio virginalis*.

Respondeo, ut benè hic advertunt Suarez, Hurtadus, Arriaga, & alii non aliud ibi docere Sopronium, nisi humanitatem in eodem temporis instanti, in quo incæpit esse in rerum natura fuisse Verbo unitam, & in hoc sensu dicit habuisse semper existentiam unam, hoc est invariatam, quia non prius extitit à verbo separata, ac deindè coniuncta, sed semper unita; quod planè colligitur ex ipsius Sophronii verbis, in quibus non loquitur de toto Christo; quasi dixerit *in Christo non esse, nisi unicam existentiam*, sed loquitur de sola humanitate, quæ dicit non habere, nisi unicam existentiam, quod planè certissimum est. Ad secundum optimè observarunt Suarez, & alii ea verba in Damasceno non reperiri, sed tantùm ait iste, carnem in Verbo extitisse, ac personalem cum eo habuisse identitatem, quod planè verum est; sive enim propriam, sive alienam habuerit existentiam, semper verificatur, humanitatem in Verbo extitisse, hoc est, illi unitam fuisse. Ad tertium jam dictum est suprà *nu. 165.* illos Patres solùm intendisse humanitatem Christi non prius tempore fuisse creatam, quam assumptam ut de Sophronio quoque modò dictum est; & modus ille loquendi potius favere videtur opinantibus actionem creativam humanitatis sive unionem ipsam hypostaticam, contra quos egimus *loc. cit.* quod autem eadem sit existentia humanitatis, & Verbi nullo modo indicant.

Sed instat Alvarez, quod licet Conc. cit. contra errorem Nestorii concludere intendat, humanitatem Christi non prius tempore extitisse in rerum natura, quam fuerit unita Verbo; hoc tamen ex eo probat, quia humanitas Christi nullam habuit, nec habet propriam existentiam, nec existit in seipsa, sed in Verbo. Confirmatur, quia existere in aliquo est existere per existentiam illius, seù dependenter ab illo; hac enim ratione accidentia dicuntur existere in alio, quia dependent ab existentia subjecti; ergò cùm secundum verba Sophronii humanitas non in seipsa, sed in Verbo existat, relinquitur eam immediate existere per existentiam Verbi. Denique Sophronius post tres ferè columnas subiungit loquens de Christo, *Est unum, & duo: unum secundum subsistentiam, atque personam; duo verò secundum ipsas naturas, ex quibus esse unum sortitur natura duplex*; ergò si in Christo est unum esse erit etiam unica existentia. 220

Respondeo ad primum negando assumptum, quoad secundum partem, ut constat ex dictis. Ad secundum negatur pariter assumptum, nam verè dicimus animam rationalem existere in corpore, nec tamen per hoc significatur, quod existat per existentiam corporis; sicut è contrà in Thomistarum sententia materia existit per existentiam formæ, & tamen non ideò dicitur materia existere per formam; falsum est igitur, quod existere in alio, ut terminetur existentia, sit existere per existentiam illius; imò ex hoc præsuponitur existentia rei terminatæ; in hoc itaque sensu dicitur humanitas existere in Verbo, quatenus eius existentia terminatur à subsistentia Verbi, in quo subsistit; sic etiam accidens dicitur existere in subiecto, non quod per eius existentiam formaliter existat, quia de se propriam habet existentiam, sed quia illam in seipso terminatam non habet, sed in substantia, unde eius existentia potius habet rationem inexistentiæ, quà existentiæ simpliciter, ideoq; alteri inhærere dicitur, & non per se existere & est dependentia causati ad causam, qualis non est dependentia humanitatis ad Verbum, quæ est per modum simplicis communicationis, & dependentiæ ab eo, tanquam à puro termino unionis, quam fundat ad ipsum, tanquam ad alienum suppositum, cui communicatur, ut quo, denominando ipsum hominem. Ad tertium per ea verba intendit exprimere illas duas naturas in Christo semper fuisse unitas, & hoc modo semper habuisse unum esse personale, in quo semper permanserunt indiviæ, & indissolutæ, unde non loquitur de esse existentiæ, sed esse subsistentiæ, & personalis; Et ut unoconcludam verbo, si unquam reperiantur Patres unam existentiam assignare in Christo, dicendum est accepisse existentiam pro subsistentia personæ, non pro existentiæ naturæ. 221

Secundò arguunt rationibus; esse, sive existere primariò convenit supposito, quia suppositum est, quod per se primò fit, & generatur, estque proprietas personalis; ergò ubi unum tantùm est suppositum, unica tantùm esse potest existentia. Confirmatur, quia primum susceptivum existentiæ est suppositum, sive persona ex Arist. cap. de subsistantia dicente, primam subsistantiam, idest, suppositum esse primum subiectum, quia ipsi per se, & primò competit existere, sed persona divina nequit suscipere existentiam creatam; ergò &c. Demum, existentia creata non est essentialis perfectio naturæ creatæ, sed terminus quidam complens, & terminans ipsam naturam, sicut personalitas, & subsistentia; ergò sicut humanitas potest subsistere absque propria subsistentia per solam Verbi subsistentiam, ità poterit existere per solam Verbi existentiam; patet consequentia, quia humanitas non magis dependet à propria existentia, quam à propria subsistentia. 222

Respondeo, negando assumptum, non enim existentia est proprietas personalis, quasi consequens ad subsistentiam, vel personalitatem, sed est proprietas naturæ, imò est ipsa natura, prout est in actu, & quod accipit esse est ipsa natura singularis; suppositum verò dicitur ultimò fieri secundum ultimam denominationem tantùm; ut notat Doctor 1. *dist. 12. qu. unic. ad 2. prin. & 4. dist. 11. qu. 3. ad 2. princ.* Et ideò ubi suppositum duplicem habet naturam, ut in Christo, debet quoque habere duplicem existentiam. Ad Confirmationem negatur maior, ad probationem dico, quod Aristot. ibi accipit esse pro subsistere, quia enim naturaliter loquendo in subsistantiis existentia non separatur à subsistentia, statim, quod substantia completa existit, subsistit quoque; ideò Aristot. nunquam per *is* existentiam in substantis à subsistentia distinxit, & pro eodem ferè semper accipit, ut dictum est in Metaph. Ad ultimum, 223

negatur

negatur assumptum; licet enim existentia non sit de conceptu formali naturæ creatæ secundum esse essentiæ, quod ab existentia abstrahit, est tamen de conceptu intrinseco naturæ creatæ actualis, ita quod implicat illam intelligere actualem sine ipsa existentia, quæ est ipsamet ejus actualitas; & ideò nulla potentia fieri potest, ut humanitas assumpta existat per existentiam Verbi, quia existentia est idem reipsa cum essentia actualiter existente ex dictis in Metaph. existentia verò increata non potest esse idem realiter cum re creata.

224 Tertiò arguunt, unio humanitatis ad Verbum non est accidentalis, sed verè, & propriè, substantialis; ergò in persona Christi composita, quæ ex hac unione resultat, reperitur duntaxat unum esse substantiale; probatur con sequentia, nam ex duobus entibus in actu non potest resultare unum per se, unio enim substantialis est, quando ex duobus extremis unum trahitur ad existendum per alterum, itaut non sint duo entia actu, quæ uniuntur. Confirmatur, nam sequeretur ex opposita sententia, quod in Christo esset simpliciter duplex esse, scilicet, creatum, & increatum; & consequenter Christus nò esset unus simpliciter, sed duo, nam cùm ens, & unum convertantur, eo modo aliquid est unum, quo est ens.

Respondeo, non semel dictum esse, hanc unionem dici substantialem, quia facta est in subsistentia, quæ est modus substantialis, non verò, quia facta sit in existentiæ; quare sicut in Christo est unum suppositum, ita & unum esse substantiale subsistentiæ, & sicut ex duplex esse essentiæ, ita & duplex esse existentiæ. Et cùm dicitur est duobus entibus in actu non fieri unum per se, iam quoque sæpè dictum ex hoc utique verum esse in unitate naturæ, & essentiæ benè tamè fieri potest unum in unitate subsistentiæ; unio enim, quæ fit in subsistentia ad constituendum suppositum per se, & substantialiter unum, est prorsus substantialis; Nec minus de ratione unionis substantialis est, ut unum extremum per alterum existat, imò debent semper extrema, quæ uniuntur, habere suas entitates actuales distinctas. Ad Confirm. concedo Christum habere duo esse modo iam explicato, nego tamen adhuc dici posse duo entia, quia ad multiplicationem concreti subsistantialis non sufficit multiplicatio formæ, sed requiritur etiam multiplicatio suppositi, quæ in Christo non reperitur. 228

225 Quartò arguunt ex absurdis; nam si humanitas Christi propriam habet existentiam, sequitur B. Virginem non esse propriè Matrem Dei, generatio enim terminatur ad esse, sive ad existentiam; si ergo Christi humanitas prius natura habuit existentiam, quam assumeretur, iam antequam Deus esset homo, intelligitur absolutum, & completum totum officium B. Virginis concipientis, & generantis; atque ideò ejus actio non attigit ipsum Christum Deum, & hominem, sed solùm eius humanitatem cum propria existentia. Sequitur secundò Verbum ipsum divinum existere quoque per existentiam creatam, sicut est homo formaliter per humanitatem. Sequitur tertiò, humanitatem non existere in Verbo, sed seipsa, & consequenter Deus non esset homo, quia non esset homo, nisi per existentiam humanitatis in eo. 229

226 Respondeo primum absurdum potius urgere Thomistas, ut Rada advertit, quia si humanitas Christi existentiam creatam à B. Virgine non habuit, vix assignari potest, quid ab ea habuerit, ut dicatur Filius eius; Quòd si dicant habuisse esse essentiæ ipsius humanitatis, non existentiæ; præterquam quod hoc falsum est, quia esse essentiæ non fit nisi ratione existentiæ, multò magis videri sufficiens debet esse, quod nos dicimus, quod habuerit à Matre non solùm essentiam, sed existentiam; Et si eos non urget, quod humanitas prius natura habuerit essentiam, quam assumeretur, ne dicatur Mater Dei; nec nos urgebit, quod prius natura pariter habuerit existentiam. Itaque B. Virgo est propissime Mater Dei, tùm quia genuit hunc hominem, qui est Deus; tùm quia in eodem temporis instanti, in quo produxit humanitatem in rerum natura existentem, fuit humanitas Verbo unita, ut dictum est supra *nu. 166.* Unde terminus primarius generationis illius fuit natura singularis existens, secundarius verò, ac ultimus per ultimatam denominationem, fuit persona divina, ut gerens vices humani suppositi; sicut etiam in generationibus naturalibus natura singularis est terminus primarius, persona verò secundarius, sive ex consequenti; Quare B. Virgo pro tanto genuit Deum, quia genuit naturam humanam singularem personalitate divina personatam, sive in persona divina subsistentem. Neque B. Virginis generatio est completa, & terminata prius natura, quam sit hic homo subsistens in duabus naturis, scilicet, Christus; actio enim generativa non exercetur in instanti naturæ, sed temporis, nec instans naturæ explicatur per verbum *est*, & *in quo*, sed per verbum intelligitur, cùm importet solam prioritatem præsuppositionis naturalis modo iam explicato *lib. 1. disp. 2. num. 123. & 124.*

227 Ad secundum Verbum divinum existere per existentiam creatam potest dupliciter intelligi; uno modo, ut Deus; alio modo, ut homo; Verbum utique non existit per existentiam creatam, quatenus Verbum, sive quantum ad naturam divinam; at nullum est absurdum, quod Verbum existat per existentiam creatam, quatenus homo, seù quantùm ad naturam humanam, ideò enim Verbum est verè, & propriè homo, quia existit in humanitate, sive quia humanitas existit in Verbo, & sicut ab humanitate verè dicitur homo, ita ab humanitate verè dicitur existens existentia creata. Dices, hinc sequi existentiam creatam esse perfectionem personalitatis Verbi. Negatur consequentia, quia Verbum est purus terminus huius existentiæ dependentis, non subiectum, neqae se habet ut actus, neque ut potentia. Ad ultimum, negatur consequentia, nam accidens quoque propriam habet existentiam ab existentia subiecti distinctam, sicut & propriam entitatem actualem, nec tamen dicitur in se existere, sed in subiecto, quia esse in seipso ex vi sermonis videtur dicere, quod per se, & solitariè existat, quod propriè est subsistere; sic igitur servata proportione, humanitas assumpta, estò existentiam habeat in se; & in sua propria natura, non ob id dici debet existere in se, sed in Verbo, quia per illum dicendi modum significaretur, quod per se, & solitariè existeret non alteri communicata, ut supposito, quod propriè est in se subsistere; Unde notat Rada, quod aliud est habere existentiam in se, aliud verò existere in se, primum concedi debet humanitati assumptæ, non secundum, quia vere in Verbo existit, hoc est, existentia, quam habet; in Verbo est, & per Verbum, tanquam per suppositum terminatur.

Postremò arguunt, quia unius rei substantialis est unum esse; sed Christus est una res; ergò &c. Respondeo unius rei simplicis non habentis in se plures naturas, vel essentias saltem in creaturis est unum esse, vel existere; Christus autem non sic est una res, & ideò non potest, quod in ipso sit tantùm unum esse existentiæ, sed tantùm subsistentiæ, quatenus est unù duntaxat suppositum; alia argumenta antiquiora vide soluta apud Scotum *loc.*

QUÆSTIO SEPTIMA.

An quælibet natura potuerit à Verbo immediatè assumi.

QUæstio est de potentia Dei absoluta, & de natura non tantùm substantiali, sed etiam accidentali; Et quidem multi ex antiquis negarunt naturam irrationalem, & intellectus expertem potuisse à Verbo assumi, ut Alensis, Henricus, D. Bonav. & alii, quos sequitur Hurtad. *disp. 43. sect. 2.* Pasqualig. *disp. 78. sect. 9* Circa formas accidentales negavit Bassol. 3. Vasquez *disp. 30. cap. 5.* & omnes alii Theologiæ Philosophi, qui dicunt in accidente idem esse inhærere, & sustentari, iam relati in Physic. *disp. 2. q. 5. art. 4.*

ARTICULUS PRIMUS.

Quid dicendum de natura irrationali, vel insensibili.

DIcendum est, quamlibet naturam irrationalem, vel insensibilem, quæ nata est suppositari, potuisse de potentia absoluta à Verbo immediatè assumi. Hæc est communis in Schola D. Thomæ, & Scoti, quam ipse probat 3. *dist. 2. q. 1. art. 1.* evidenti ratione; natura intellectualis est immediatè à Verbo assumptibilis, ut omnes concedunt, quia de facto assumpta est; ergò & non intellectualis; probatur consequentia, natura intellectualis ideò est assumptibilis, quia nihil est in ea dùm assumitur, per quod illi repugnet communicari alieno supposito, quia in eo signo, in quo fuisset in se facta incommunicabilis assumpta fuit sed quælibet alia natura substantialis, & suppositabilis potest eodem modo præveniri; ergò ex parte eius fuit assumptio possibilis; Ex parte etiam Verbi nulla est repugnantia, quia Verbum est independens, independentia opposita dependentiæ eiusdem naturæ, & subsistit subsistentia tali, quali natura quælibet substanti alis potest sustentari; ergò si natura irrationalis Verbo uniretur, posset ab eo reddi subsistens, & fieri incommunicabilis. Confirmatur, quia unio hypostatica proximè, & immediatè per se terminatur ad subsistentiam; sed quælibet natura substantialis est capax subsistentiæ; ergò, &c. Denique de facto corpus Christi mortuum fuit hypostaticè unitum Verbo in triduo mortis; & licet esset natum animæ reuniri, & ordinatum ad constituendam naturam rationalem, adhuc tamen in se irrationale erat, quia ordo corporis ad animam, non constituit illud in esse rationalis, sed prorsus irrationale relinquit; ergò nulla repugnantia assignari potest ex parte naturæ irrationalis ad talem assumptionem, quia hæc non est magis determinata ad propriam subsistentiam, quàm sit ipsa natura rationalis, & est æqualiter in potentia obedientiali ad Verbum, ac sit ipsa natura intellectualis, ut discurrit Doctor *loc. cit.* 230